

I. N. D. N. J. C.
DISPUTATIO JURIDICA
SOLENNIS
a. d. 20. Maii 1693.

K3

IRNERIUS INJU- RIA VAPULANS,

SUB CLYPEO

VIRI NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI, EX-
CELLENTISSIMI ATQUE CLARISSIMI

DN. ALEXANDRI ARNOLDI
PAGENSTECHERI, JC.

Antecess. Ordinar.

Defendendus per

CHRISTOPHORUM BERNHARDUM GALEN,
COESFELDIA - MONASTERIENSEM.

P A R S III.



DUISBURGI ad RHENUM,
Apud FRANCONEM SAS, Academ. Typographum.
Anno M. DC. XCIII.

PERILLVSTRI ET GENEROSO
DOMINO,

DN. H E N R I C O,

Libero Baroni de GALEN, Do-
mino in Assen, Bispinch, Rom-
bergh, Hüllinghoff & Ottenstein,
Satrapæ in Vechtâ &c.

UTI ET

PERILLVSTRI ET GENEROSO
DOMINO,

DN. FRANCISCO WIL-

HELMO, Libero Baroni de GA-
LEN, Domino in Daesbach, Ding-
lage, Borg, Heide & Galen, Illu-
striissimi & Celsissimi Principis &
Episcopi Monasteriensis Camera-
rio Hæreditario, Satrapæ in Vech-
tâ &c.

Dominis Patronis & Fautoribus meis
Gratiosissimis &c.

*Trepidante sed tamen devotissima manus
has studiorum meorum juridico-
rum primitias offero*

CHRIST: BERNARD: GALEN:



IRNERII INJURIA VAPULANTIS
P A R S T E R T I A.
COITIO OCTAVA,

ad
AUTH. HOC SI. C. DE PIGNOR.

REDEMPTORIS, ajunt, extra legitimi aliquando thori oleas vagatum, propterea que a Patre Confessionario vehementius increpitum, hunc ad amoenissimas Regii cuiusdam Palatii delicias ablegasse, cocoque in mandatis dedisse ut praefato Patri objurgatori sive prandii sive cœnæ sive alio nomine quipiam cibi ponendum esset, nil nisi perdrites unquam præstaret. Paret, ut par est, Majestatis Regiae voluntati cocus. Lapsis aliquot diebus, & post septimanis, praefatus Pater, alias, etiam viliores, cibos expetit. Negat eosdem cocus. Advolat ad Regem prædictus Pater Confessionarius, ejusdemque Regiae Clementiæ injurias cocci aperit, regiam illis medelam quam humillime depositens. Inspecta cocci querela, quid, ait, numquid delicatissimum cibi genus tibi cocus noster apposuit, quo equidem Reverende Pater possis esse contentus. At hic demisso in humum vultu: at, inquit, *tousjours des perdris*. Cui Rex: *Tousjours la Reine*. Quo sane Rex ille invento prudentissime indicare voluit, si modo vera ea est fabula, quam verum sit illud Symmachus nostri: *Satietatem affert copiarum largus usus*: & ut idem alibi: *Mutatione castiganda est satietas*. Hæc etiam, Lector, ratio fuit, quod Irnerio nostro ad tempus aliquod, ad præcavendum tedium, quod aut Tibi, Amice, aut aliis,

A

liis.

liis, aut nobis etiam, ex continuatione unius materiae oboriri potuisset, haec tenus deposito, visiones tibi interim nostras de Jure Ventris exhibere, cruces famosissimas ex l. 22. ff. de reb. cred. & l. 69. ff. pro soc. tollere, Sicilimentorum etiam ad Compendium Juris ad ff. Lauterbachianum Manipulum primum, exhibere, per hunc annum & quod excurrit, maluerimus. Nunc tempus monet ut Irnerio iterum nostro suspetias eamus. Et initio quidem habebam in animo, Syllogen Wissenbachianam a capite ad calcem inspicere, vindiciasque Irnerii ad ejusdem ductum moliri, sed cum incidissem in censuram Clariss. Erici Mauritii *dissertat. de libris juris commun. th. 15. in fin.* (ibi: alia in quibus fidem illarum ne elevare quidem, sed ordine saltem non legitimo collocatas esse Authenticas ostendere Wissenbachius nititur.) ad Promulgationem Rittershusianam me convertebam, sed cum & hanc in enarrandis omissis (de quibus dicam coitione decima §. 5. num. 2.) magnam sui partem occupatam esse animadverterem, satius visum est cœpto ordini insistere, sparsimque utiliora, prout res aut occasio, aut Dominorum etiam Respondentium conditio tulerit, præfinito scopo feligere. Sane non dubito præsentem Respondentem meum D. CHRISTOPHORUM BERNHARDUM GALEN Coesfeldia-Monasteriensem, ad intricatoria quævis deducere, ea quippe ipsius probata mihi est assiduitas, eum ego insuper apud ipsum judicosisimi ingenii deprehendi vigorem, eos mihi de ipso per omne tempus quo studiis apud me strenuam operam navavit, de ipso spopondi progressus, ut nunc non verear ad ipsam ipsum deducere hoc sæculo vexatissime agitatam JURIS IN RE (ita enim appellari magis debet quam JUS IN REM. l. 19. pr. ff. de damn. in f. pr. I. de usufr.) materiam, & si quæ impræsentiarum occurrent materiae graves aliæ.

§. I. Enimvero quæ circa istud altercationes a JCTis motæ sint, promat pro me Autor Relationum Historicarum, qui Recens. Autumn. de anno 1688. cap. 19. pag. 89. hæc scribit: *Nota est conversio, de numero jurium in re, inter hunc, (Bornium: cui confert Thomasius) unicum saltem jus in re, nempe dominium, agnoscens tecessorem Disp. Inaug. Lipsiæ habit. & inter Enochum Glaserum, An-*

tecessorem

cessorem *Fulium*, pro quinario numero jurium in re pugnantem, olim agitata: *Quanquam superioribus Annis nonnemo, dominium quoque una cum pignore, possessione & jure hereditario, ex classe jurium in re extrudere voluerit, solam servitutem genuinam juris in re speciem esse afferens; contra quem stylum expedivit Cl. Thomasius, in Appendice *Vindiciarum* pro dominio contra servitutem, quas Philosophiae suæ Juris subjecit.* Ex adverso autem Jo. Strauchijs *¶* Cetus accuratissimus, solam servitutem, ex his, que enumeravimus, iuribus, e numero jurium in re exclusis, quam tamen D. Lynckerus, *¶* Cetus Salanus, elisis ejus rationibus, in pristinum locum restituit, ut ut ipse post D. Ulric. Huberum (aliosque, inter quos novissime est D. Coccejus) possessionem e censu jurium in re eliminare voluerit. Nec defuere, qui ampliarent numerum, quos inter Gerh. Feltmannus, elegantissimus *¶* Cetus, (quem sequitur D. Rhetius) dotem, peculiarem juris in re speciem esse contendit: *Quenam D. Schragii, Antecessoris Argentorat. hac de re sententia sit, alibi Recens. Auctumn. 1686. pag. 186.* (censet nempe Jus Rerum Universale a Jure in Re & ad Rem debere abstrahi) jam notavimus. Hæc ille. Quæ jam mea hac in parte sententia sit, declaravi alibi: *vid. 2. aphor. 22. & Ser. Pandectar. p. 2. §. 3.* cuius me sententiæ nondum poenitet: Dico adhuc, pro vocabuli, *Dominii*, acceptione lata vel stricta, plures paucioresve juris in re species, consequenter *Jus hereditarium*, *Jus Dotium*, *Jus Emphyteuticarium*, *Jus Superficiarium*, separata a Dominio strictissime accepto species posse constitui: Interim tamen nec eos qui *ad exemplum Legislatoris* quatuor hæc: *Dominium*, *Servitutem*, *Possessionem*, atque *Pignus*, conjunctim proponunt, erroris insimulari debere, maxime cum hæc methodus docendi, *Juris Studiosis* non inconveniens sit, qui ita memorie suæ optimè consulent, si didicerint, *Quatuor esse JURIS OBLIGATIONES* siue *AD REM causas* (*Contractum*, vel *Quasi*, *Delictum*, vel *Quasi*.) Quatuor item *JURIS IN RE*, secundum statim dicta.

§. II. Sed tamen quod de Pignore dixi, id in dubium vocare quis possit per Novell. 4. cap. 2. Si enim jus in re actionem in rem parit contra quemcunque possessorem, sequitur, & *Pignus*, si jus in re sit, producere debere consimilem actionem contra possessores

sessores quoscunque: at vero actio ex pignoris jure oriunda non datur contra omnem possessorem *d. Nov. 4. cap. 2.* Respondeo: Actio Hypothecaria omnino datur contra omnem possessorem ipso jure, sed hic habet tantum exceptionem Dilatoriam Ordinis sive Excussionis: *vid. d. c. 2. junct. c. 1. ibi: veniat. servetur. interim.* at exceptiones Dilatoria actionem non perimunt, sed tantum differunt, atque *interim* non competere faciunt, quædam etiam, quas intentionis vocant, impediendo ipsum litis ingressum: ad quarum classem referunt & hanc. *Gail. 2. obs. 27. n. 5. 6. add. Lauterb. comp. ff. de re jud. a.* Quinimo hoc ipsum, Possessorem scil. rei oppignerata habere beneficium Ordinis, ad solam pertinet hypothecam generalem: In speciali enim manet regula: Actio hypothecaria contra omnem possessorem indistincte, id est etiam non excusso principali debitore, competit. *Nov. 112. cap. 1. versic. ab hoc litigiosi.*

§. III. Sed de hoc ultimo sunt magni nominis JCTi qui addubitant, existimantes etiam specialis hypothecæ possessorem Ordinis sive Excussionis beneficio se tueri posse: Frantz. 1. resolut. 12. Gudelin. 4. de jure noviss. cap. 7. Struv. ff. 26. 38. Lauterbach. ff. compend. pag. 404. Peretz. C. de pignor. num. 15. Donell. ad 1. 14. C. de pignor. Rittershus. Nov. p. 2. cap. 2. num. 24. Etcc. A quibus cum ego semper, etiam in sententiis ferendis, dissenserim, ne id temere fecisse videar, age sis, videamus primo an sententia mea theoreticæ veritati concordet, deinde etiam an consentientem habeat fori praxin.

§. IV. Et de illa quidem provocare necesse habeo ad *Novellam 112. cap. 1. §. ab hoc autem litigiosi.* Ubi notari cupio 1. Justinianum ibidem quid novelli sive novi juris voluisse inducere, quod tum vel ipsa Novelle appellatio inducit, tum ex ipsis verbis dicti §. ibi: decernimus, damus, precipimus, veterum legum &c. clarissime patescit. 2. Juris novi constitutionem consistere in distinctione hypothecæ generalis atque specialis, non quidem in inducenda divisione ipsa, quæ jam antea maxime cognita fuit, sed in diverso hujus illiusque effectu, ita ut in generali hypotheca manere debat ius vetus, specialis autem hypotheca vendi nequeat a debitorre nisi hic satisficerit creditori, quod si facere neglexerit, datur per

per hanc novellam legem creditor i potestas hoc speciale suum di-
venditum pignus a quocunque detinente vindicare donec ipsi
(creditori) satisfactum pro debito fuerit. vid. text. in d. Nov. IIII.
c. I. §. ab hoc. ibi: distinctionem tenere in his, (hypothecis.) speciales.
generales. liceat debitori vendere, sic tamen vindicare donec de pretio
satisfiat. Quoniam igitur inter speciales & generales hypothecas
distinctio nova est, sequitur I. distinctionem aliquam esse & qui-
dem 2. novam. Non potest autem distinctio hæc nova esse in eo
sita quod specialis hypotheca vindicatione (id est actione in rem: §.
15. I. de action.) peti possit, hæc enim non est distinctio, cum id
utriusque hypothecæ commune sit: neque potest hæc distinctio
in eo collocari quod hypotheca generalis res fere omnes afficiat,
specialis vero rem unam duntaxat alteramve: cum hæc distinctio
sit *vetus*, non *nova*: Sed distinctio nova alia in parte fingi non po-
test quam in ea quam ipsa Novella exhibet, nempe quod *creditor*,
donec ei satis pro debito fiat, *rem in specie suppositam* possit vindicare,
ut sunt verba textus: quæ cum *novum* quid importent, secundum
supra adducta, non poterunt intelligi de vindicatione *veteri*, cui
scil. Ordinis beneficium obstabat, sed debent accipi, ut sonant,
de vindicatione pura & aliud quid non respiciente, nec per aliud
aliquid elidenda, nisi per paratam solutionem, aut hypothecæ
prioris jus potius. Ait enim textus, venditionem, scilicet per se
alias subsistentem, statim tribuere creditori jus vindicandi: &
huic juri vindicandi nihil debere obstaculo esse, nisi a. satisfactio-
nem creditoris, quæ per solutionem debiti fit: & β. prioritatem
alterius hypothecæ. Si hæc tantum duo vindicationem Novo Ju-
re impediunt, non ergo tertium, Ordinis puta beneficium. Quæ
omnia adhuc juvantur per generalitatem quoad beneficium Ordini-
nis non distinguentium verborum: *damus creditori licentiam vim-
dicare.* Accedit & indeoles juris in re, quæ regulariter actiones
reales adversus quemcunque possessorem extendit sine metu oppo-
nendæ exceptionis: At naturalia cum præsumantur inesse, per vul-
gat. præsumemus & inesse huic Novellæ IIII. Militat & alia ratio
pro hac nostra sententia, quam promam verbis JCTorum Helme-
stadiensium apud Hahnium ad VVes. de distr. pign. n. I. ibi: *Sondern*

es hat auch selbige Novella in sich die ration, quod re qua specia-
liter obligata est, vendita, creditori magis noceri possit, quam ubi is
generalem hypothecam, re una vel altera, ex bonis debitoris distracta,
quod nihilominus ex ceteris suum consequi possit. Qua de causa & a-
lias generalis hypotheca bonorum non impedit quo minus servi ma-
numittantur: *Quod non ita est ubi servus specialiter obligatus*, l. 1. 2.
3. C. de serv. pignor. dat. l. 9. in quib. caus. pignor. vel hypoth.
tac. l. 29, pr. qui & a quib. manumiss. junct. l. 4. l. 24. 45. l. 27. §. I.
eod. tit. Ideoque alienata hypotheca speciali, creditori quoque merito
concessum fuit expeditius remedium, in d. N. 112. c. I. scil. agendi hy-
pothecaria contra emtorem tertium possessorem, non excuso prius
principali debitore, ceu alias ex N. 4. c. 2. requiritur.

§. V. Scio, dissentientes uti arg. l. 27. C. de testam. ibi: *Quod*
mutatum non est, quis prohibet stare. Cui Regulæ in legibus novel-
lis atque correctoriis maxime locus dari debet, utpote quæ stri-
ctissimæ sunt interpretationis. Cum ergo Ordinis Exceptio sive
Beneficium per Novellam 4. cap. 2. possessori pignoris tertio im-
pertitum, per hanc Novellam nostram 112. expresse admittum non
sit, sequitur admittum non præsumi. At ego respondeo, nec in
Novella quarta beneficium Ordinis totidem verbis indultum esse,
sed tantum æquipollentibus: ibi: *Sed neque ad res debitorum quæ*
*ab aliis detinentur veniat prius antequam transeat viam super perso-
nalibus &c.* Quibus verbis quemadmodum Ordinis sive Excusionis
(ut apud Doctores, non autem in dicto textu audit) beneficium
æquipollenter inductum esse non nego, ita fatendum insimul est,
æquipollentibus etsi non totidem verbis id alia novella lege ite-
rum posse adimi arg. l. 35. d. R. 7. sed & id factum esse in Novel-
la 112. ea quæ §. præc. proposuimus dubitare non sinunt.

§. VI. Nec latere mihi potest, urgeri a dissentientibus, No-
vellam nostram 112. loqui de hypothecis litigiosis, quod præter
Rubricam Novellæ, ipsa etiam Novellæ præfatio & caput primum
edoceat: ut adeo si vel maxime Ordinis Beneficium in Possessore
tertio pignoris specialis cesseret, id ad litigiosum pignus restringi
debeat. Verum enim vero, ut de Rubrica primo loco dicam, quis
nescit divisionem Rubricarum Juris in *Authenticas & Non-Authen-*
ticas.

ricas. *Illas quæ vi Legis pollut: Has quæ eadem destituuntur.* Quis nescit, ad *illas* pertinere, Rubricas Pandectarum, Institutionum & Codicis: ad *has* vero, Feudorum & Novellarum? *Illas* a Legislatorе esse: *Has* ab Interpretе. Vid. Tabor. tract. de Suffragio. pericop. 4. num. 3. & tract. de alter. tant. p. 3. art. 7. num. 4. Lincken. discurs. de rubro, nigro & albo. cap. I. num. 15. Sane nullus dubito, quin Rubrica Novellæ nostræ II2. vitiosa aut mutila sit: Nullus dubito quin cordatus editor novæ editionis Corporis Juris, aut Novellarum saltim, rubricam vulgatam dictæ Novellæ aut resecare aut hoc modo: *De litigiosis, & de hypothecis, & de decima parte litis ab auctore &c. reponere possit, debeat: Nisi rubricam ita malit concipere: De litigiosis, & de hypothecis, & de aliis capitulis.* Néque enim solum capitulum, *de hypothecis*, omisit Autor Rubricæ vulgatæ, sed & alia, ut attentus Lector Novellæ nostræ ipse satis deprehendet. Rubricam ut adeo vulgatam ne unius quidem aestimemus assis. Ut necesse nunc non habeam dicere, argumentum alias in rubricis quoque Authenticis valde debile esse, nisi pleno sensu vim legis producant. Vid. Tabor. tract. de confrontatione. cap. 2. th. ult. & tract. de indic. delictor. artic. 20. num. 1. Sequitur ergo, missa inepta Rubrica illa vulgata, ut de præfatione & capite primo Novellæ nostræ dicamus, quæ sane Legislatoris nostri esse nemo negaverit. Atque ego sane quidem agnoscō, præfationem atque caput primum de Litigiosis agere, sed non totum caput primum, prout nunc editum est, sed duntaxat usque ad §. *Ab hoc autem litigiosi vocabulo hypothecas separari decernimus.* Hæc textus verba dum scribo, plane mihi persuadeo, cum his verbis debere caput novum, secundum puta, (si Novellam quis scilicet in capita, quod Haloander neglexit, & necessarium non est, dissecare gestiat) incipere: persuadeo mihi plane & plene, peccasse editorem textus vulgati Latini, quod dictum §. ab hoc &c. capitilis primi membrum vel partem fecerit, quem Legislator expresse separari voluit. ibi: *separari decernimus.* Scilicet dubitabatur apud veteres an Litigiosi character, qui alienationem impedit, etiam ad hypothecas pertineret: non tantum tum cum lis jam super re quadam pignori obligata penderet, sed & tum cum hypothecæ

pothecæ alienationem creditor vel debitor, hoc illove contradicente, coque ipso quasi litigante aut altercante, facere moliretur. ut pater ex l. i. C. de litig. l. 2. C. de distr. pign. &c. Et quamvis tam in Pandectis, quam in Codice, hæc controversia sopia ferme fuerit: vid. d. l. 1. ff. & l. i. C. de litigios. l. 2. C. de distract. pignor. quo & respicit Novellæ nostræ Præfatio: apparet tamen ex eadem præfatione, judicibus postea iterum dubietatem quandam subortam fuisse, adeo ut petierint a Justiniano ut præfatas leges apertius vellet explanare. Quod & ipsum hac Novella fecit Justinianus, & expresse decrevit, propter hypothecæ nexus nullam rem debere litigiosam unquam videri, consequenter nec alienationem propterea impediri. Adeo ut per hanc legem Novellam, Justiniani mens nunc apertissime explanata sit, hypothecas scilicet in postrum plenissime a Litigiosis debere esse separatas. Ut adeo manifestissimus sit error eorum qui existimant, Novellam nostram cap. 1. in §. ab hoc. de hypothecis litigiosis accipi debere, cum tamen Novella dicto §. hypothecas ad litigiosas non tantum non restringat, sed & a litigiosis expresse separat: Quæ separatio cum indistincte ibi proponatur, sine distinctione quoque, an hypothecæ liti inclusæ sint an secus, ut accipiatur, par est. arg. l. 8. ff. de Publician.

§. VII. Antequam ab hac Novella illa. dimovear, obiter & quasi in parenthesi moneo, verba finalia d. Nov. cap. primi ita debere verti: Sed secundum dictam distinctionem, hujusmodi certamina terminentur. Ita ut rō hujusmodi non pertineat ad rō distinctionem, sed ad rō certamina. Sane hunc sensum flagitat textus Græcus: ibi: οὐδὲ νατὰ τὸν εἰγεύλην διαιρεσίν τὸς πιάτος ἀγωνας πέραν προδιδεθει. Habet hæc observatio illum ingentem usum, ut sciamus Novellam nostram illa. non tantum intelligendam de pignore vendito, sed & si simile certamen enascatur, puta debitorem e. g. permutasse, aliove modo alienasse, id enim vult rō hujusmodi.

§. VIII. Ordo vult, ut de praxi subjiciam. De qua in testimoniis citabo, ipsorum tamen pace, Viros Amplissimos, D. Ulricum Huberum, atque D. Christianum Thomasi. Hunc Germanum: Istum Belgam. Quorum Iste in Praelectionibus suis ad ff. tit. de pignor.

de pignor. n. 9. Supremam Frisiorum Curiam hanc sententiam re
judicata firmasse, testis omni exceptione major est. Hic autem: in
annotat. theor. pract. ad Strauch. pag. 299. Francofurteses, Helm-
stadienses, atque Lipsienses Facultates Juridicas, sed & Supremum
Appellationis Judicium Lipsiense, hanc nostram sententiam in
praxi sequi, inculentus Autor est. Vide sis etiam hanc in rem Hah-
nium ad Wesenbec. de distract. pignor. n. 1. & 2.

g. IX. Præterea in terminis mihi consentientes vide sis viros
in Praxi celeberrimos atque excellentissimos, Brunnemannum ad
l. fin. C. de O. & A. & ad l. 24. & Anth. Hoc si. C. de Pignor. Ber-
lichium 2. conclus. 24. num. 67. & seqq. Tessaurum decis. 51. Gotho-
fred. ad Nov. 112. cap. 1. Tuscum 3. practicar. conclus. lit. E. con-
clus. 403. n. 39. &, quem primo loco nominasse debucram, de praxi
etiam testantem Carpzovium 2. constitut. 18. decis. 18. & 2. respons.
72. quem PRACTICORUM DICTATOREM, cognominat Excellentis-
simus nobisque amicissimus D. Zaunschliffer. Junon. Lucin. Sacr.
jurid. th. 22. Quid multis? Hanc sententiam nostram receptionem
esse, vides apud Hahn. d. loc. ad VVes. de distr. pign. num. 1. Juri
etiam Saxonico convenire testatur Thomasius d. loc. Adhuc adda-
mus Mævium consil. postum. 109. num. 135. & seqq. cuius verba in
gratiam tui, Lector amice, qui hoc Autore forte an adhuc ca-
res, huc adscribam, maxime cum & limitationes quasdam sententiæ
nostræ exhibere satagant: Rectior est (ait dicto loco Mævius) *Cto-*
rum sententia, regulariter isti exceptioni (excussionis) non esse locum
in hypotheca speciali, ejusque alienatæ possessorem se contra creditorem
(tueri) non posse: juxta Nov. 112. cap. 1. vers. ab hoc autem. at &
illa habet exceptiones, & quidem inter has ductu rectæ rationis non
poteris non numerare, si debitor reservat alienandi licentiam & ex ea
pignus tollere licuit, non aliter creditor potuit satisfieri. Concessa enim
alienandi facultate consequens est, concedenda retinendi securitas, arg.
lib. 2. ff. de jurisd. talis hic est ex alternativa stipulatione cuiusdam
alterwirum a debitore cuius electio est, prestari sufficit, prius est sub
libera potestate Hartmannus Pistorius quæst. 4. num. 7. part. 3. cessat
enim in hac specie ratio, quæ est in nexus arctiori specialis hypothecæ,
qualis non est in alternativa suppositione, quæ generali equipollit, &

in qua unum obtinere sufficit. c. in alternativis. de R. J. in 6. lib. 13.
 §. cum de reb. dub. lib. 2. ff. de eo quod cert. loc. similiter si in
 eum casum, cum ex speciali hypotheca non satisfiet, alia hypotheca
 cautum est, quia & constituent & recipientis ea mens est, ut libera
 sit interea de speciali dispositio, quia alias cavere opus non fuisset;
 multo magis si promittens sibi reservat alienandi seu disponendi facul-
 tatem; uti factum intelligitur quando in eum casum cavet, quia cau-
 tio eam mentem indicat, alias supervacua. Quod contextus horum
 verborum subinde hiulcus sit, condonabit æquitas Lectoris Au-
 toris, utpote mortui, absentiae: quæ quos defectus imprimendis
 libellis infligat, & ego novissime expertus sum dum Aphorismos
 meos Justinianeos, ad desideria Auditorum meorum, tertium ty-
 pis exscribi passus sum. Sane enim lib. I. aph. 2. in verbis: *Pande-*
etas & Codicem observari debere ex eodem die: quis non videt, pro:
Codicem, legi debere: Institutiones. Libro item tertio aph. II 2. lin.
 5. post verbum: *Est: omissa sunt hæc: (hic penes ledentem electio,*
nem). Dicto libr. 3. aph. 118. in fin. dele: *Curulum.* Libro quarto
 aph. 12. lin. 4. ita legendum: (*art. 162. Et aliquando circumstantiis*
concurrentibus 3. in furto magno. P. H. D. art. 160. vid. Lauterb.
ff. & D. Feltm. I. b. Si fur-) Sed quo dilabor? E diverticulo in
 viam. nostram sententiam modo exhibitam innuit & Manzius
 comm. ad §. 7. I. de act. n. 49. vers. vide tamen. Cœteris parco.

§. X. Admissa igitur hac sententia, sequetur errasse strenue Ir-
 nerium nostrum in *Auth. Hoc si. C. de pignor.* qui omissa distincio-
 ne inter hypothecam generalem atque specialem, legi 24. C. de
 pignor. (cujus hæc sunt verba: *Persecutione Pignoris omissa, credi-*
tores actione personali convenire, creditor urgeri non potest) subjicit
 hanc Authenticam: *Hoc si, inquit, debitor possideat: alio vero pos-*
sidente inhibetur hypothecaria, donec personaliter actum sit cum Reo
& Intercessore. Et si nec ex hypothecis debitoris satisfiat, tunc demum
intercessoris hypotheca, si quæ sunt, petantur: quod jus & in hereditus
locum habet.

§. XI. Defensio Irnerii esto, quod Authenticæ hæc intel-
 ligenda sit de hypotheca generali. Quem intellectum suadere
 videntur verba Authenticæ: *hypothecis. hypothecæ. quæ in unam sin-*
gularem

gularem hypothecam non cadunt, sed generali soli, utpote quæ plures hypothecas ambitu suo complectitur, aptari possunt.

§. XII. Plura avebam addere, sed vellicat autem Rittershusius qui ex dicta Novella 4. cap. 3. Irnerii Authenticam *Hoc nisi debitor. C. de solution. desumtam esse, & quidem non absque magno Irnerii errore, innuit exposit. Novellar. part. 2. cap. 3. n. 13. & in promulg. error. Irner. n. 62. seq.* Esto igitur

COITIO NONA

ad

AUTH. HOC NISI DEBITOR. C. DE SOLUT.

Circa in solutum dationem eāt posteriori loco Rittershusius) citidem notandus est error, quem Cujacius ostendit ad Novell. 4. cap. ult. in quo continentur duo casus circa debitorem argento praesenti destitutum, habentem tamen bona vel mobilia vel immobilia. Bona illa aut non inveniunt emptorem aut inveniunt. Priori casu creditor prædia pro quantitate debiti in solutum accipere cogitur, canticione evictionis nomine creditori à debitore præstata. Nam hæc in solutum datio venditionis speciem habet. I. 4. C. de evict. I. eleganter. in pr. ff. de pign. act. Posteriori si extant emptores, debtor cogitur bona vendere, & ex pretio creditori satisfacere. Cavere autem debet emptori de evictione. Male ergo Julianus in d. Nov. 4. c. ult. & Irner. in Auth. Hoc nisi. C. de solut. cavere eum creditori, se ex pretio redacto ex venditione pecuniam debitam soluturum. Nam ut priori casu creditori quasi emptori cavetur, ita hoc casu cavendum est emptori. Add. expos. Novell. p. 2. c. 3. n. 13.

§. I. Verum ego nego, hoc casu cavendum esse emtori, quod vult Rittershusius, aut si & emtori, nego, quod ei soli, sed illi, & creditori. Quod ut pateat, rogo te Lector Candide & obsecro ut ipsum textum Novellæ, etiam Latinæ Vulgatæ versionis, inspicere gravari nolis, & videbis clarissime, i. hoc beneficium Dationis in solutum, non in gratiam emtoris esse introductum, sed in gratiam debitoris, & NB. creditoris: unde creditori cavendum esse,

non ambigo, scil. debitorem vendentem velle ipsi ex pretio satisfacere. Vides 2. cavendum esse *judicis arbitrio*. Indistincte. Unde iterum non dubito, quin *Judex* ex circumstantiis cautionem etiam in creditoris gratiam interponi debere, arbitrari possit.

§. II. Et hæc ad defensionem Irnerii possunt sufficere. Ceterum elegantia etiam practica quædam circa hanc materiam adhuc vide sis apud Taborem tract. de alter. tanto. præfat. th. 3. nisi quod manus ibidem criticas oderim, de quibus Zevecotius ad Flor. princip. ubi ait: *Ego superstitiones illas Criticorum observationes libenter negligo, quia prodeesse non possunt. Per me interim licet, ut se doctos & felices esse existiment, qui inutilem (de utili enim non ago) lecti- num diversitatem curiose annotant; & dum laureolam in mustaceo querunt nil profecturis inde lectoribus ubique obtrudunt.*

§. III. Interim nota sis ex hac *Authentica* exceptionem regulæ: *Aliud pro alio solvi nequit. l. 16. C. de Solut.* cui legi elegantissime Irnerius ceu exceptionem subjecit *Authenticam nostram*. Alias exceptiones habet Struv. Lauterb. aliisque ad tit. ff. de *solut.* Strijck. annot. ad pr. I. quib. mod. obl. toll. Aliisque alibi.

COITIO DECIMA.

ad

AUTH. EXCIPITUR. C. DE BONIS
QUE LIBER.

Majestatis efficacem potentiam, in imperio circa subditorum personas, eorumque bonorum eminenti quadam dominio, præter universi regimen, singulariter sese spectandam præbere: Priscos etiam sapientes in gubernanda domo ceu privata quadam quasi rep. ad tria illa animum vertisse, patrique familias in istis nescio quam majestatis speciem induluisse, non est quod altius heic repetamus. Patribus sane Romanis ea in liberorum & corpora & bona potestas competebat, ut *Patriæ Majestatis* illustrem Synonymiam eidem non denegaverint. Valer. Maxim. 7. memorab. 7. Et quidem ut de potestate in personam liberorum nunc nihil dicamus,

mus, ea sanc circa corundem bona patribus impertita potestas fuit, ut quicquid quacunque etiam ex causa liberi acquirerent id omne patribus plenissima cum dominandi atque fruendi potestate acquirerent quasi δέλοι τῶν πατέρων (patrum servi) ut Dion. Halicarn. loco noto ex lib. 8. testatur. Postea, quo plures ad militiam invitarentur, prudentissimo consilio, militantibus filiis, velut & veteranis postea, bonorum castrorum plenissimum dominium concessum, quin & successu temporis eo deventum est, ut bona liberorum, quæ peculi vocabulo insignire placuit, in tria genera, profectitia, adventitia, & castrrena, (hæcque vel vere iterum vel quasi castrrena) disperita fuerint, ita ut primi quidem ordinis bona Juris Veteris, quod statim ex Halicarnassense memoravi, placita plene servarent, tertii autem subsellii peculium eadem plane nesciret, quæ autem secundo loco collocavimus, adventitia nempe, ea, quasi medio euntes, liberis quidem proprietatem, patribus vero usumfructum impertirentur. Sed nec in eo substitit Legislatoris erga filios liberalitas, is enim ipse etiam quem statim vidimus adventitii peculii ususfructus nonnullis in casibus patribus admittus & filiis familiarum concessus est: quos casus hoc modo disposuit D. Huber. pos. ad ff. tit. de pecul. ibi: Casus illi sunt aut e successionibus aut inter vivos: e successione primus est, quem possumus d. tit. 9. n. II. Alter est in legato militæ, id est, functionis agentium in rebus, quorum schola & militia dicebatur, eratque in commercio l. 3. §. 7. in fin. d. Minor. Tertius casus est, ab intestato, cum frater una cum patre succedit fratri suo N. II 8. c. 2. & 3. IV. tam testati quam intestati, quando filius invito patre, acquisivit hereditatem, quod potest hodie l. ult. in p. C. de bon. quæ lib. Inter vivos sunt tres casus I. Rerum a Principe donatarum l. 7. C. de bon. quæ lib. 2. Si pater dolose versatus sit in bonis filio restituendis l. 50. ad SC. Trebell. Tertius & ultimus, cum pater divortium fecit illegitimum a matre liberorum, ejusque bona pro besse liberis pleno jure cedunt, triens monasterio, cui includitur. Nov. 134. c. II.

§. I. Primum casum de quo remissive vides agi, habes in *Authentica Excipitur. C. de bonis q. liber.* cujus hæc sunt verba: *Excipitur quod iis datur vel relinquitur ab aliquo parentum conditio-*

ne hac adjecta ne ad patrem perveniat ususfructus.

§. II. Horum verborum sensus etsi satis abundeque fundatus sit in Novell. 117. cap. 1. fuerunt tamen suntque adhuc hodie clarissimi Viri qui triplicis potissimum erroris Irnerium, aut quisquis ille noster fuit, in compilatione visæ Authenticæ insinulant: veluti 1. quod Irnerius existimet, usumfructum peculii adventitii non censeri patri ademtum, nisi dans filiis bona talia adventitia, patri usumfructum expresse ademerit, cum secundum dictam Novellam sufficiat ex conjecturis voluntatem adimendi colligi posse.

2. Deinde istud carpitur, quod Irnerius solis parentibus potestatem adimendi tribuat, cum Novella omnibus, etiam extraneis, qui vel inter vivos vel ultima voluntate filios familiarium liberalitate quadam ma>tant, licentiam usumfructum adimendi impertiat.

3. Denique cum Novella ademptioni ususfructus legitimam expresse eximat, peccaverit utique strenue Irnerius quod usumfructum etiam patri quoad liberorum legitimam, interverti posse, generalioribus saltim verbis, scriptum reliquerit. Primum invenies apud Mollerum 2. Semestr. 26. Secundum vides apud Rittershūsium error. Irner. num. 56. Tertium habet Fachinæus 5. controv. 21. in fine. Cœteros, inter quos etiam D. Huberum prælect. ff. de pecul. n. 2. aliosque Viros summos invenias, nunc omitto.

§. III. At ego vero, quantum ad primum, nullam Authenticum inter & Authenticam video differentiam. Si enim verba Irnerii: *Conditione hac adjecta*: præcise important, ut *expresse ademptionem* fiat, sane & Justiniani verba illa: *Sub hac definitione atque conditione*: quæ vides d. Nov. 117. c. 1., idem, si non fortius, inferent. Aut si hæc Justiniani verba *ademptionem per conjecturas admittunt*, quid est, quod obstet quominus & Irnerii adducta statim verba *eandem* pati possint? Quin imo, Irnerii verba talem conjecturam ademptionem multo adhuc lubentius videntur admittere, eo, quod Justinianus dupli vocabulo ingeminat, dum præter *conditionem*, adhuc *definitionem* requirit, Irnerius autem secundo, *conditione*, contentus est: quasi indicare velit, non debere verba Novellæ Justinianeæ ita accipi quasi *expressa definitione* ad ademptionem opus sit, sed sufficere *conditionem adiectam esse*, quæ *adjectio* cum

cum non tantum expressis verbis sed & æquipollentibus fieri possit, sequitur omnino, Irnerium conjecturas hac in parte non repudiare sed admittere. Unde in tali casu, quo avus maternus nepotes heredes scribit, eisque tutores constituit, adjiciens velle se ut hi, quæ ex hac hereditate ad nepotes pervenient, soli administrent, inque nepotum utilitatem collocarent: in tali casu, patri admittus censebitur ususfructus. Moller. d. loc. add. Carpzov. 2. 10. defn. 10. Brunneim. ad d. Auth. Excipitur. Lauterbach. ff. de pecul. & ab istis Allegati: cum Justiniani mens non fuerit in legibus suis verbis testantium magis quam eorundem voluntatibus favere. §. 2. I. de legat. add. quod æquipollentium eadem sit potestas. Carpz. 3. respons. 10. in fin. Conf. Berlich. I. decis. 137. n. 19. seq.

§. IV. Secundum vero istud vehementius urgetur a Rittershusio d. loc. ubi ait: *Nigro præterea calculo notanda est Authent. Excipitur C. de bon. quæ lib. quæ præter meniem Justiniani Novell. ut liceat matri & avix, &c. c. i. ita restringit, quasi de illis tantum bonis adventitiis, quæ filiofamilias sub conditione, ne parens in illis usumfructum haberet, ab aliquo parentum, non vero ab extraneis relata sunt, accipienda esset. Cum expresse Imperator dicat, non tantum licere matri, avia, alisque parentibus conditione superiore uti, sed etiam omni personæ.*

- - - - - Notissima res est,
*Quam qui forte negat, nunquam vidisse diurnos
 Se Phœbi radios, nec verno tempore flores,
 Æstibus aut mediis audisse tonitrua dicat.*

§. V. Quid dicimus ad hæc? Respondeo (I.) comina esse ponendum post illa verba Authenticæ, ab aliquo: adeoque istud, parentum, non pertinere ad præcedentia illa, ab aliquo, sed ad sequens istud, conditione. Ut sensus Authenticæ sit talis: *Quando ab aliquo (quisquis ille sit) dante liberis bona, hæc conditio parentum est adjecta ut pater usumfructum non habeat, pater usumfructum non habebit.* Plane conditionem parentum hoc sensu satis Latine (si Latinitatis nitorem in Irnero exigis) sed & Juridice dici posse, non dubito. Vid. Jo. Laurent. 7C. not. ad Phœdr. 3. fab. 7. Sueton. Galb. cap. 5. Symmach. 2. epist. 32. & 19. & passim. Phœdr. d. l. &c. Sed

Sed & (2.) si vel maxime *tō parentum* ad præcedentia referre malis, scire debes, Irnerium unum tantum capitulum ex Nov. 117. (habet enim capita plura: ut bene *Autor Rubricæ* & est textus in d. Nov. 117. pr.) in Codicem translatisse. At, inquis, quare non & alia, maxime connexum & oppido quam affine alterum illud: posse *talem legem bonis adventitiis dici non tantum a parentibus sed & a quibuscumque aliis bona talia liberis impertientibus?* At ego vicissim interrogo, ubi promiserit Irnerius se omnia capitula ex Novellis in Codicem referre voluisse? Certe, quemadmodum Irnerius eo potuit contentus fuisse, quod digitum subinde intendet in jus novellarum unde Juris Cultor pleniores sibi compare posse notitiam, ita & Rittershusio aliisque potest sufficere, Irnerium nobis glaciem fregisse, maxime dum cogitamus, quibus non Irnerius arduis negotiis impeditus & fere oppressus (*vid. Præfationem* sive *Prolusionem* supra parte prima) satis bene meritus de rep. literaria videatur quod pauca illa sed pereximia Codici inservuerit. Quoniam Rittershusio placuit, Poëticis deliciis in oppugnatione Irnerii uti, age sis, ludamus & nos pro Irnero elegantiis Horatianis epist. lib. 2. pr.

*Quum tot sustineas & tanta negotia solus,
Res Italas scriptis ruteris, moribus ornes,
Legibus emendes: in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Magne Irneri.*

Si aut hanc aut illam Irnerii defensionem admittis, Lector, nihil necesse erit confugere ad apologiam illam Rittershusianam *exposit.* Novell. p. 5. c. ult. n. 4. ubi ait: *Ac foris parentum appellatione intelligi voluit Irnerius propinquos sive cognatos: sicut saepe & in Jure Canonico & Feudali parentes pro cognatis usurpantur.* Videatur Cujacius ad cap. 13. veniens. extra de sponsal. & matrim. Item ad cap. 27. cum in tua. eod. tit. ubi etiam Tertullianum & Hieronymum ad hanc rem allegat. (add. Irner. Inj. Vapul. p. 1. coit. 7. §. 18.) Sed hanc explicationem non fert generalitas verborum in textu Nov. 117. cap. 1. princ. in fin.

§. VI. Ad tertium optima Irnerii videri posset apologia, si licet nobis sentire cum Doctoribus illis, qui etiam quoad legitimam

mam patri usumfructum adimi posse in adventitiis, defensitant: quorum sententia communiori magis Doctorum calculo approbata, judicatarumque subinde rerum autoritate firmata videri posset. Vide Berlichium *loco supra adducto*. Verum enim vero, iis non obstantibus, sententiam contrariam ego omnino verissimam esse, mihi persuasum habeo, idque propter apertum textum in d. Novell. 117. cap. 1. adeo ut nec in Praxi eandem deserendam esse existimem.

§. VII. Sume casum: Titia in bonis habens tria millia, filium quem ex Cajo marito habet unicum Sempronium, ex aße heredem scribit, adjicitque legem hanc, ne Cajo ususfructus in hisce tribus millibus ulla ex parte competit. Hoc casu dico Cajum, nihil obstante prohibitione Titiæ, usumfructum tamen habiturum in mille, tanquam hereditatis triente quem Sempronio secundum definitionem juris novissimi legitimæ loco Titia vel invita integrum servare cogitur.

§. VIII. Hæc sententia probatur per textum in d. Nov. 117. cap. 1. ubi notari velim 1. Jus novum. 2. Ejus requisitum. 3. Rationem & 4. Ampliationem. Primum est in his verbis: *Sancimus licentiam esse matri & aviae aliisque parentibus substantiam suam rotam vel pro parte descendantibus suis donare aut per ultimam voluntatem relinquere sub hac definitione atque conditione* (si voluerint tamen, neque enim tenentur aut coguntur talem conditionem addere. Supra: *licentiam.*) *ut pater in his rebus ita donatis aut relictis neque usumfructum habeat, neque ullum jus aliud.* Poterat scilicet dubitari an talem definitionem atque conditionem quis adscribere posset, cum ea jus patriæ potestatis ab antiquo patribus competens valde imminuat. Sed Justinianus, non obstante hac ratione dubitandi, sancit id hodie debere licere, propter rationem decidendi quam statim videbimus modo observetur tamen requisitum, quod est in his verbis: *postquam reliquerint filii partem quæ lege debetur, quod reliquum est substantiæ donare vel relinquere sub definitione atque conditione ut pater in talibus rebus (quæ scil. sub illo reliquo comprehenduntur) usumfructum aliudve commodum non habeat.* Subjicit porro rationem his verbis: *Hec enim & extraneis relinquere (etiam olim ante hanc legem novam) poterant,*

C

& nul-

& nulla utilitas inde ad parentes (ne olim quidem) proveniebat. Quasi dicat : Non debet id patribus injustum videri , quod usumfructum in reliquo præter legitimam ipsi adimi posse sanciatur , cum & ante hanc novellam licuerit id reliquum totum & quoad proprietatem & quoad usumfructum alii relinquere etiam extra-neo , ubi tum nihil quicquam utilitatis ad patrem perveniebat : cur autem pater velit invidere filio ? annon paterni affectus est , magis favere filio ut ille id reliquum potius habeat integrum , quam ut id dissipetur in extraneos ? Denique Ampliatio Juris novi exhibetur his verbis : *Hoc autem non solum parentibus sed omni persona licere præcipimus.* Sane hæc ampliatio (quid enim aliis omnibus personis , etiam adeo maxime extraneis , cum Legitima ?) juncta ratione statim visa , (neque enim Legitima liberis sine justa causa adimi inque extraneos transferri potest) satis indicant Legislatorem de usufructu Legitimæ adimendo non sensisse . Sane si textus Novellæ nostræ 117. c. 1. pr. dicta ratione atque ampliatione destitueretur , dubium superfuisset quam maximum , annon Justiniani mens fuisset per hanc sanctionem dare parentibus potestatem adimendi patri usumfructum etiam in Legitima ? Enimvero obsecro Lectorem ut inspicere dignetur textum Græcum : Quæro , quo pertineant illa numero plurali ibi proleta : 'Εν ταῖς τοῖς περιγμασιν ? Cum ad unum pertinere nequeant , necesse est ut referantur ad duo illa præcedentia : 1. Τὸ ἐκ τῶν νόμων διοικήσιμον μέρος . 2. Τὸ καθολικὸν τῶν αὐτῶν περιγμάτων . Qui sane scrupulus me primitus torsit , quid enim dissimilem ? fecisset id autem diutius , nisi dicta ratio incipiens per ταῦτα , juncta dicta ampliatione , monstrasset , prædicta illa : ἐκ ταῖς τοῖς περιγμασι : ex mente Cæsaris intelligenda esse de περιγμασι τὸν καθολικὸν . Maxime cum istud ταῖς magis ad posteriora vi sua videatur spectare quam ad præcedentia , quemadmodum τὸ his (quo , non vero altero isti opposito τῷ istis , interpretatio vulgata atque Haloandrina recte etiam hoc loco uisa est) similis apud Latinos indolis esse assolet .

§. IX. Concludimus ergo : Usumfructum legitimæ patri vigore patriæ potestatis competentem , patri dicto modo adimi non posse . Ita sentiunt mecum Boerius *decis.* 193. & Papon. *lib. 7. t. I. arr. 5.*
quos

quos sequitur Christinæus 4. decis. 75. num. I. addendo: & sic alias censuit Suprema Curia. Brunneman. & Allegati ad Anh. Excipitur. C. de bon. quæ lib. (ubi in fine addit: Licet etiam præjudiciis illis alia a Dd. hujus sententiae allegata possimus opponere.) Rhetius 13. meditat. Academ. 17. Scharschmidt. ad Novell. 19. 22. Harpprecht. ad §. I. I. per quas person. cuiq. acquir. n. 10. Struv. & Lyncker. ff. de usufr. th. 5. Tabor. de patr. potestac. c. 3. th. 7. Perez. C. de bon. q. lib. n. 5. Richter. ad Anh. Excipitur. C. de bon. lib. Fachin. 5. controv. 21. Glossa aliqua apud Berlich. d. decis. 137. ubi & Doctores plurimos adducit, & in Curia Burdegalensi & in Collegio Facultatis Juridicæ Ingolstadiensis ita conclusum atque responsum esse, memorat. Consentit & Lauterbach. ff. de pecul. & ibi allegati.

§. X. Stante itaque hac sententia, quid faciemus Irnerio nostro, qui in Authentica nostra verbis generalibus legitimam inclusisse videtur? Respondeo: Non eam fuisse Irnerii mentem si admittimus expositionem priorem quam adduxi supra §. 5. Sane enim tum verba Irnerii: *quod eis datur vel relinquitur ab aliquo: legitimæ dationem, quæ ad quoscunque non pertinet, excludent.* Quod si posteriorem dicto §. 5. adductam constructionem præfers, nihilominus Legitima huc non pertinebit, utpote quæ a parentibus non datur aut relinquitur, sed a Lege. Ex quo & illud sequitur, quod Legitima a parentibus adimi liberis invitatis nequeat, quamvis Deo eandem consecrare velint. Mævius. consil. posthum. 68. n. 32. Sed nolumus hic excurrere ad alia. Istud adhuc tamen monemus: apud Belgas (non tamen indistincte omnes: vid. Christinæus loc. supr. alleg. Valer. Andr. Dessel. ad Zoef. tit. Inst. per quas pers. cuiq. acq. n. 4. D. Huber. anaceph. ibid.), utpote qui usumfr. peculii adventitii patri non tribuunt (nisi quod alimenta egeno patri ex eodem impertienda sint: *quod & in Germania tenendum esse, casis quo ususfr. specialiter admittus est, nonnulli supra laudatorum Autorum monent,*) omnem hanc disquisitionem nullius aut pauci usus esse oportere. Vid. Feltman. Cup. Oosterga. Groenvveg. Vinn. ad §. I. I. per quas pers. nobis acquir.

COITIO UNDECIMA

ad

AUTH. QUAS ACTIONES. C. DE
SS. ECCLES.

Quo nunc vela vertemus, Lector? Phædrus meus in fabulis alicubi de Uva narrat, quam Vulpis quædam summis viribus saliendo adpetierit, cumque eandem tangere non potuerit eandem ceu nondum maturam contemserit, spreverit. Cui fabellæ Phædrus subjicit: *Qui facere quæ non possunt verbis elevant, Adscribere debebunt hoc exemplum sibi.* Ne & tu hoc exemplum mihi adscribas, eo quod supra Coit. 8. princ. Syllogen D. Wissenbachii Promulsidemque Rittershusii elevaverim, atque declinaverm: age sis, aggrediamur utramque & primit er quidem præfatam Syllogen, quantum per temporis chartæque angustias nunc licet, idque tanto lubentius quod Coitiones hasce Irnerianas per aliquod tempus distulerimus, at vero *Fucunda dilatio sit quæ simul bona pluria restituit*, ut Symmachus noster loquitur 3. epist. 24. Et primum quidem locum in erroribus Irnerianis apud Wissenbachium sibi vindicat Auth. *Quas actiones. C. de SS. Eccles.* clausula quippe illa Authenticæ (*Sola Romana Ecclesia centum annorum spatio vel præscriptione gaudente*) non est apud Justinianum in Nov. 131. cap. 6. unde, ait Wissenbachius, Authenticæ illa desumpta est.

§. I. Verum non existimamus Irnerium hoc loco quippiam ex se finxisse aut de suo addidisse, sed potius munus Juris Consultissimi Professoris & boni Interpretis implevisse. Est nimurum Auth. nostra ex earum numero quas expositioni compendiariæ unius Novellæ non adstrinxit Antecessor Irnerius, verum ex præscripto justæ interpretationis *quod est in l. non est novum. ff. de LL.* Legis alterius necessario augmento illustravit, non de suo, sed ex anteriori lege, ex Novella inquam 9. quam, quoad Ecclesiam Romanam, posteriori lege in d. N. 131. cap. 6. abrogatam non esse, juste arbitratus est.

§. II. Enimvero cum in Oriente promulgata esset Justiniani Sanctio,

Sanctio, ne Ecclesiis obstarent præscriptiones ullæ longi aut longissimi temporis, nisi centenariæ l. 23. C. de SS. Eccles. sacerdique religio Romanæ Ecclesiæ primatum ingentem præ cæteris concedens cœpisset invalescere vid. l. 8. C. de Summa Trin. Novell. 9. pr. Nov. 131. c. 2. absonum videbatur, Ecclesiæ quidem Orientales indulgentissimo centenariæ præscriptionis privilegio impertire, ast quam in Occidente Roma, illa legum patria, illa fons Sacerdotii, illa ubi summi Pontificatus apex, v. d. Nov. 9. augusto sinu fovebat, eam, inquam, angustiori termino coercere. Prodit adeo Nov. 9. Lex disertissima: Romanam Ecclesiæ non debere excludi nisi longæva præscriptione centum annorum. Imo favor ejusdem producitur ad omnes omnino Ecclesiæ, Occidentales atque Orientales, non suo euidem merito hoc privilegii proporro gavisuras, sed propter Ecclesiæ Romanam ceu, qualem d. Nov. 9. Justinianus illam exhibet, ceterarum principem & quasi caput, ut adeo post d. Nov. 9. hæ non ex se, sed propter istam, deinceps jure isto usæ sint. d. Nov. 9. ibi: ex hac.

§. III. Cæterum eventus docuit, præfatum jus non esse ex usu reip. vid. Novell. III. pr. adeoque abrogatur, centenaria præscriptione mutata in quadragenariam: Nov. III. cap. I. Nov. 131. cap. 6. Quo jure novissimo promulgato, disputatio fori (ut solet) poterat suboriri, an idem pertineret ad Ecclesiæ etiam Romanam utpote speciali privilegio munitam? vid. d. Nov. 9. ibi: speciali lege. Romana Ecclesia id non existimavit, nec Jctus Irnerius. Sanc specialissimæ illæ pro Ecclesia Romana militantes rationes, quas tetigi §. 2. add. §. 4., id non videbantur suadere, propter regulam in l. in toto. ff. de R. f. &c. generi. de R. f. in 6. cui etiam in Legibus locum esse puta, arg. l. 41. ff. de pæn. Tusch. tom. 4. conclus. 36. n. 57. & seqq. Scilicet, ut, nisi aliam esse Legislatoris voluntatem aliunde constet, generalitas legis posterioris non tollat specialissimum hujus vel illius privilegium de quo verosimile non est sensisse Legislatorem. Fuit huic doctrinæ usus cis hos sex annos, cum emersisset Edictum Serenissimi, nullum omnino ab accisiis (quas vocant) immunem pronuncians. Errassis, Lector, strenue si id ad privilegiatissimam nostram Universitatem gestiſſes exten-

dere: Sed non erat ea mens Clementissimi Patriæ Patris, ut experientia testatur, & repræsentavi *Sciagr. Instit. Polit. lib. 2. tit. 8. §. fin.* Confer. ipse Clariss. Censor noster Wissenb. *infra th. 25. vers. Novæ enim constitutioni.*

§. IV. Abrogat ergo Jus novum *Nov. III. & 131.* centenariam præscriptionem *Ecclesiis* (NB. in plurali numero) concessam: non detrahit Legi de *Ecclesia Romana* agenti: nam de ea non loquitur, sed tantum de *Ecclesiis* ad quas jus sc. Ecclesiæ Romanæ erat productum. Unde notanda (quam docendi methodum etiam Professori Irnerio placuisse ex Auth. nostra vides. Confer. *Auth. Principales. seq.*) regula cum exceptione. Regula est in pr. *Auth. nostra Quas actiones.* Exceptio in d. *Auth. vers. Sola.* Illa desumta est ex *Nov. 131. c. 6.* Hæc ex *Novell. 9.* Nunc subjiciamus Authenticam integrum: *Quas actiones* (ait Irnerius) alias decennalis, alias vicennialis, alias tricennalis præscriptio excludit: hæ si loco religioso competant, quadraginta annis excluduntur: usucapione triennii, vel quadriennii præscriptione in suo robore durantibus, sola Romana ecclesia gaudente centum annorum spacio vel privilegio.

§. V. Si quis doctiorem ad hanc Authenticam Irnerii defensionem desiderat, is adeat elegantissimam dissertationem Cl. Strauchii, cuius mentionem feci *supra part. I. in prolus. princ.* Econtra inter Irnerio-Mastigas hac in parte se etiam prodit Rittershusius *in promulg. thes. 2. seqq.* Struvius item noster *ff. 43. 19. in fin. add.* Lauterb. *ff. de usucap. in fin.* Ex quibus illud itidem videbis, novissimo Jure Canonico, Irnerii nostri sententiam confirmatam esse: ut non dubitem in praxi emergente casu eandem sequi.

§. VI. Habet & usum hæc res in Feudis, quod & vidit Rittershus. *dict. promulg. th. 7.* ubi ait: *Superioris controversie usus etiam est in rebus feudalibus, quando queritur, an in rebus Ecclesiasticis feendum prescribatur xxx. annis?* *Quod Zaf. Br. Balb. & Mynsing. negant: sed contra Ecclesiam & Rempub. quadraginta annorum curriculum;* *Contra Ecclesiam Romanam 100. annos requirunt.* Et secundum hæc limita doctrinam Strijkii *exam. feudal. c. II. quest. 8.* ubi scribit: *Sed quid in præscriptione Feudi Ecclesiastici? Resp. Hic quadragenaria præscriptione opus esse communiter volunt per Nov. III. & 131.*

& 131. ubi illa in rebus Ecclesiae locum habere dicitur, quod Jure feudali non aliter decisum. Struv. cap. 8. th. 12. n. 3. Mynsing. Cent. 4. O. 29. Sed distingui potest, inter præscriptionem rei Ecclesiasticae qualis, & qua feudalis. Illo casu 40. anni sunt necessarii, hoc casu non, quia hic proprietas Ecclesiae manet salva. Vult. c. 9. n. 8. Ludwell. pag. 175. Verum, pace Viri Ampliss. dixerim, non magni fecerim hanc distinctionem: *Quamvis e. proprietas Ecclesiae maneat salva: utilitas tamen (quam e re Ecclesie esse quis non videt!) est etiam res Ecclesie : quæ proinde non nisi 40. aut 100. annis prescribetur. Dominum utile (feudale) est utique & res, & quidem utilis.*

COITIO DUODECIMA

ad

AUTH. PRINCIPALES. C. DE JURE.

PROPT. CAL.

Subsequitur *Anth. Principales. C. de Jurej. propt. cal. dand. alie-*
na certe ab eo titulo, *judice VVissenbach. b. th. 7.*

§. I. Agit titulus ille de jurejurando propter calumniam dando, quod hodie magis usitate juramentum calumniae audit. Calumniæ vocabulum uti pro subjecta materia plurifariam accipitur: ita generaliter omnem omnino improbitatem notat. *Proxm. Inst. de Confirm. Instit.* Unde calumnia in judicialibus est omnis legibus vetita improbitas a litigatoribus commissa. Consequenter Juramentum Calumniæ erit juramentum a litigatoribus præstandum de causa, legitima cum probitate, prosequenda.

§. II. Isti probitati cum varia obstant, sequitur totidem Juramenti Calumniæ capita esse. Cum ergo improbus litigator non tantum sit ille 1. qui non credit se bonam causam fovere. 2. Qui dilationes non necessarias petit. 3. Qui in jure interrogatus verum fateri detrectat. 4. Qui differendi negotii causa probationes ab adversario exigit l. 1. l. 2. pr. C. de jurej. propt. cal. dand. Nov. 49. c. ult. gloss. in c. 1. de jur. cal. in 6. Sed & 5. qui judicem aliasve personas,

personas, re ipsa, promissive, corrumpit: *qua fere summa est Authenticæ nostræ, Principales: desumptæ ex Novell. 124. c. 1.* Sequitur omnino, propter singula superiora quinque capita jurandum calumniæ debere præstari, adeoque jure meritoque Irnerium Authenticam præfatam subjecisse legi l. & l. 2. pr. C. d. t.

§. III. Sane si hæc, uti videri posset ex d. th. 7., Wissenbachii mens sicut, jurandum calumniæ non continere nisi unum capitulum, *calumniandi animo se item non contestari: vocemque calumniandi* adeo anguste accipiat, ut nullum quatuor posteriorum capitum eodem comprehendatur, immane quantum falleretur, refutandus vel sola l. 1. C. d. t. quæ secundum caput continet & titulo *de jurejurando propter calumniam*, dando principe loco inserta est: ut nihil dicam de notoriissima praxi, Ordinatione Camer. part. I. tit. 65. aliorumque superiorum Judiciorum, vulgatisque illis, et si non nimis elegantibus, versiculis:

*Illud juretur, quod lis sibi justa videtur:
Et si queretur, verum non inficietur:
Nil promittetur: nec falsa probatio detur:
Ut lis tardetur, dilatio nulla petetur.*

Sane tertium illud respicit nostram Authenticam, & exprimitur quoque in Ord. Camer. d. loc. Sed & Illustrissimi Comites Bentheimienses id adhiberi volunt. Vid. Bentheimsche Gerichts Ord. parte 2. tit. 5. Et ita servat alibi etiam Praxis.

§. IV. Sequitur ex superioribus proporro, jurijurando calumniæ plura etiam capitula, autoritate publica, posse superaddi atque inseri expresse. *Quemadmodum, referente Mynsing. 3. observ.* 56. in multis Germaniæ locis appellantes jurant se non temere aut ad differendum calumniose negotium appellationem interponere. Nisi ad quinque illa, cœtera malis referre.

§. V. Subjiciamus nunc verba Authenticæ, cum & tempore mentum quoddam superiorum contineant: Ait enim Irnerius: *Principales personæ, vel illæ, ad quas negotium in medio migraverit, coram judicibus jurent, quod nihil penitus causa patrocinii judicibus vel alii cuicunque personæ pro hac causa dederint, vel promiserint, vel postea dabunt, vel per se, vel per aliam medium personam: exceptis*

ceptis his quæ propriis advocatis pro patrocinio præstant, aliisque personis, quibus nostræ leges dari disponunt.

§. VI. Et hæc quidem sufficere possunt disputationi solenni Academicæ. Quæ sequuntur rejiciemus in Coitiones Divino favore secuturas. Antequam autem colophonem huic tertiae parti imponam, amoliri necesse habeo quos audio nescio quorum fasurros, quibus mirum videri possit, quod ad defendendum Irnerium, textum subinde Novellarum Græcum in subsidium vocem, cum tamen textus Græcus in foro, sive in Praxi, (hanc enim appellationem præferri videoas) textui versionis Vulgatae Latino, cum inter se discrepant, cedat, ejusque autoritas infra hujus omnino subsidat. Lauterbach. I. conclus. forens. 8. Duck. de author. jur. civil. lib. I. cap. 4. n. 16. Mauritius de libris juris communis th. 16. At ego, quemadmodum versionem Latinam præfatam in Praxi observandam esse, non nego, eo quod Praxin exercentes, saltim plerique, illud crebro in ore habeant: *Græca sunt, nec legi nec intelligi possunt:* unde, secundum alterum istud πολυθεύλητον, *Ars non habet osorem nisi ignorantem*, non potuerunt non Græca aspernari, consequenter Græcum textum in praxi exercenda non sequi: Ita tamen collatio textus Græci tunc sc̄epissime utilitatem habet, cum Latini sensus ambiguus est, veluti exemplum ejus rei proposui supra coit. 8. §. 7. & parte I. coit. 3. §. 5. & aliud ex supr. visæ Novellæ 117. c. I. §. I. Sicilim. Lauterbach. I. 36. Maxime cum quando de defensione Irnerii agitur, inspici non debeat quid Praxis hodie servet, utpote quam ignoravit Irnerius, sed quid Novellarum sensui conveniens sit: Sane autem Irnerium sola versione vulgata contentum fuisse, vix admittunt ea quæ in Prolusione supra de eo adduximus. Textum autem, quo nunc utimur, Græcum tam diu pro genuino habebimus, donec Contius dederit meliorem. Adhuc unum te volo, Lector Amice. Supra coit. 8. §. 2. post verba (at exceptiones) per festinationem omissa sunt sequentia (actionibus jure competentibus regulariter opponuntur: & in specie) item pag. 10. lin. 17. pro *nen*, lege *non*. Eadem pagina, ante verba: *sed quo dilabor?* inseri volebam hec: [add. Lib. 4. aph. 80. ubi pro l. 7. §. I. C. de ann. exc. substitue: l. 7. §. I. C. de præscr. 30. vel 40. annor. Hancenus enim hæc actio Civilis nunc reputari potest, quæ alias Præ-

toria est. quo respicitur aph. 84. ibi: alia aphor. 52.] Cœtera can-
dori Tuo committo, Lector Candide.

S. D. G.

C O R O L L A R I A
a Respondente subjecta.

- I. PARENTES liberos aut liberi parentes exheredaturi aut præte-
rituri, debent specialiter & nominatim hujus præteritionis aut
exheredationis suæ causam probabilem testamento suo insere-
re, quod si non fecerint testamentum est ipso jure nullum Nov.
115. c. 3. & 4. nec querela inofficiosi eo casu admittitur, quod
per verba *penitus non licere* satis indigitat Justinianus, si igitur
non licet per leges, & contra leges est, sequitur quod ipsa ex-
hereditatio vel præteritio sit ipso jure nulla, per textum in l. 5.
C. de legibus. quod si exhereditatio nulla est, sequitur inutile nul-
lumque esse testamentum *pr. I. de exhered. liber. l. 30. ff. de lib.*
& posthum. hanc sententiam tuetur communis DDrum Schola
Struv. ff. exercit. 32. th. 26. usum hujus disputationis vid. in *pr. I.*
de perpet. & §. i. I. d. t. junctis iis quæ subtiliter disputat Nobili-
ssi. Dn. Pagenstecher, in *Irner. injur. vap. coit. 6. §. ult.*
- II. Legitima non tantum titulo institutionis sed adhuc hodie titu-
lo singulari relinquere potest l. 8. §. 6. l. 25. ff. *de quer. inoff. §. ult.*
I. eod. Nov. 18. c. 1. diff. DDres communiter virique magni no-
minis Carpz. 3. 9. def. 6. Richt. decis. 43. Bockelman. ff. *de inoff.*
n. 8. Strijck. *ad d. tit. I. §. ult. aliquae.*
- III. De peculio adventitio irregulari filium fam. testari posse vel
non posse, problema esto: non posse docet *pr. I. h. t. & l. pen.*
C. qui testam. fac. poss. Lauterbach. *ad tit. qui testam. facer. poss.*
Struv. *exercit. 32. th. 7. ibique allegati.* Contrariam sententiam in-
nuit Nov. 117. c. 1. §. 1. l. 8. §. 5. *C. de bon. quæ lib.*
- IV. Affinitas morte dissolvitur, hinc demortui Patrui vidua non
est amita sed fuit, §. 6. & 7. *h. t. l. 3. §. 1. ff. de postul.* vid. Brun-
nem. p. 5. d. 89. & Nobiliss. Dn. Pagenstech. Præsidem atque
Professorem meum semper devenerandum *lib. I. Aphorism. Ju-*
stinian. 46.
- V. In emphyteusi compensatio locum habet, nec legali tempore
protestatio

protestatio emphyteutæ moratoris requiritur, quia ex momento
mutui debiti debitores ipso jure liberantur, §. 30. I. de act. l. 4.
¶ 10. pr. ff. & l. 4. f. C. h. t. Tuldæ. in C. h. t. num. 6. Christinæ.
v. 3. d. 40. num. 1. Trentacinq. l. 3. tit. de comp. ref. 1. n. 24.

VI. Qui compensationem opponit suum debitum fatetur. Lauter-
bach. ad tit. de compensat. ibique allegati adde de praxi testantem
Brunnem. ad capit. 63. de R. f. in 6. diss. Fachin. lib. II. controv.
c. 6. Struv. exercit. 46. th. 14. aliquie per l. 9. ff. de except. & capit.
63. de R. f. in 6. Bz. Loquuntur hi textus de exceptione nuda.

VII. Sub oppignoratione rerum mobilium & immobilium res in-
corporales non comprehenduntur, quia res incorporales singu-
lare & tertium genus constituunt, vid. l. 15. §. 2. ff. de re jud. &
l. 7. §. 4. de peculio. Neguzant. p. 2. m. 2. n. 9. Faber. in Cod. 8.
t. 6. def. 14. & DDres communiter, quicquid Frantz. h. t. num.
17. cum Bachov. v. 2. d. 1. th. 2. dissentiat.

VIII. Dari obligationem mere civilem cui ne vel umbra æquitatis
naturalis adest vult pr. & §. 1. I. de except. juncto §. 3. I. de V.O.
contra Struv. Ludvv. aliosque.

IX. Vigore legis I. §. 1. ff. de interd. salv. Interdictum Salvianum
contra quemcunque possessorem tribuitur, juncta indole juris
in re. Consentient DDres communiter, diss. Lauterbach. aliquie.
Vid. Sicilim. Lauterb. manip. prim. n. 96.

X. Codicem derogare Pandectis prob: (1.) per textum expressum
in l. 2. §. 15. de vet. jure enucl. ibi: novum inventum. (2.) Per ra-
tionem legalem: leges posteriores abrogant leges anteriores contraria
l. f. ff. de Constit. Princip. (3.) Per experientiam: dum exempla
innumeræ adducere promptum est, quibus Pandectis per C. dero-
gatur, sive, quibus, molliter loquendo, Pandectæ Codici cedere
necessæ habeant. Exempla hâc vice producamus vel ex ipso Struvio,
vid. ejus exercitat. ad ff. 8. th. 41. th. 85. & th. 103. item exercitat.
33. th. 36. &c. &c. apud Lauterbachium nostrum de experientia hac
dubium nullum est. Sane si ex tribus illis credendi principiis,
Textu, Ratione, Experientia, vel unicum per se solum ad fidem
extorquendam sufficiens est, quid dubitemus adhuc de veritate
hujus Corollarii, utpote tribus illis principiis junctim fulciti?
& hanc sententiam nostram in praxi receptam esse, vid. apud

D 2

Lauter-

Lauterbachium *Conclus. Forens. I. th. 13.* & novissime apud Illustrem Cameræ Imperialis Assessorem Ericum Mauritium *de libris juris commun.* th. 14. Opp. Struv. ff. exerc. I. th. 69. quod leges Codicis ante Pandectas fuerit sanctæ. Resp. Id falsum est. Nam Justinianus Leges veteres non tantum amputavit, sed & iisdem multa noviter addidit: *Vid. Constit. Cordi nobis est.* Ita ut Leges illæ quæ hodie in Codice apparent non sint *eadem* illæ quæ olim sunt latæ, nec valere debeant *ex eo tempore* quo olim sunt latæ, sed ut *post Pandectas* sunt amputatae & repletæ novæque factæ: ita ut Pandectæ valere debeant ex A. C. 533. sed Codicis omnes Leges (NB. absque ulla distinctione) valere debeant quasi novæ & noviter a Justiniano A. C. 534. promulgatae. *Vide Dictam Constit. Cordi nobis est.*

XI. Depositum etiam est rei immobilis per l. 186. ff. de V. S. &c. Opp. Immobilia non possunt *poni*. Resp. Istud anile & decrepitum argumentulum refutant vel solæ res mobiles animatæ, quorum quædam profecto non *ponuntur* e. g. equi, vaccæ, virginæ (v. l. 3. §. f. ff. de lib. exhibend.) &c. sed si quis tales depo- nat, ille non *ponit* eos, utpote cum e. g. equus quatuor suis pedibus ambulet vel currat ad stabulum, ut deponens opus non habeat cum humeris vel brachiis suis illuc portare & ponere. Breviter, quid verbum *deponere* in Jure significet, petendum est ex Jure: vide ergo l. 186. de V. S. l. 24. l. 26. ff. & l. 9. C. depos. scil. *deponere* & *commendare* sunt synonyma.

XII. Ex Sicilimentis ad Lauterbachianum Juris ad ff. Compendium, quæ nuper sub præsidio Cl. D. Præsidis defendi, nunc iterum defendenda suscipio sequentia compendiario hic exhibenda ut 1. Emphyteusis est contractus stricti Juris. 2. Actio Quadrupedaria utilis etiam datur si fera bestia pauperiem fecerit. 3. Actio ad exhibendum est ex Quasi-contractu. 4. Ex contractibus Innominatis duæ dantur Actiones: una ad *Impletionem*, altera ad *Rescissionem*: Quarum illa *Condictio causa data causa non secuta*. Hæc autem *Præscripti Verbis* appellatur. 5. Condictio Furtiva contra heredem in solidum non datur, nisi solidum ad eum pervenerit. Quid de Jure Canonico? vide Sicilim. 29. quod itidem defendere paratissimus sum.

F I N I S.

DS (29) 50

Ad Nobilissimum & Jure Consultissimum Juvenem,
CHRISTOPHORUM BERNARDUM GALEN,
Coesfeldia - Monasteriensem,
Cum latam studiorum præmessem, Ventilandas publice
pro Irnerio Theses inferret Academico Astræa
Clivie Sacrario.

Quem Tu Diva Themis semel
Dilectum placida luce beaveris,
Illum non furor impius
Avertet dubium, nulla Sophistica
Vano ducet acumine
Delusum, neque mens dedita Amoribus,
Mollis mancipium Deæ,
Quod Legum jaceant Sacra Volumina,
Docto concilio exiget:
Hunc sed sancta Themis, progenies Jovis,
Nec non Mercurii favor
Fingunt Romuleis Legibus inclutum;
Hunc Magni insula Principis
Dignatur Patriæ semper amabilem
Doctis addere Corculis,
Livor dente minus quos petit invido.
O GALENE potens Dea,
Orbem lance sua quæ regit arbitra;
O Terræ decus hinc tuæ
Donature, Sacris Legibus & jubar;
Hoc totum meriti est Tui,
Quod jungor studiis Te celebrantium
Romanæ strepitu lyræ,
Illa sed, Genii, si placebo, Tui est.

Amicitiae & Benevolentiae causa Parodiam
hanc Odæ III. Lib. IV. Horatii

L. M. P.

HENR. CHR. HENNIN.

D. & P. P.

OS (30) SC

Nobilissimo, Eximioque Juveni VIRO,

D. CHRISTOPH. BERN.
GALEN,

Cum illius Operis, molimine & successu inclyti, cui
Titulus, IRNERIUS INJURIA VAPULANS,
Partem Tertiam publice defenderet;

O D E.

Virtus prophanum spernere callida
Vulgi soporem, nititur arduos
In tesqua per clivos, laborum
Ipsa sibi speciosa merces.
Per alta cæcis astra jugalibus
Famæ volantes, non videt invida:
Nec altiorem, intaminati
Arce locat meriti, triumphum.
Ut esse, mutis quamlibet omnibus,
Lucro reponit non timido mori;
Sermone cur optet referri
Qui Zephyri spatietur aura?
Sed ipsa laudes quæ meritas sibi
Virtus siuevit temnere pertinax,
Exempli ad erectas verendum
Non renuit statui celeusma.
Te, sed Tibi non, ergo mei canam
Lesboi adunco pectine Barbiti,
Ithonia natum parente,
Virginicas dare vagienti

Certa

Certa papillas sugere: Fervidum
 Addam Themistæ dicere Te Lytam,
 Ipsa profundi Juris acres
 Qui geminas animos abyfso.
 Athleta dicam, nube sub ærea
 Obstare telis intrepidum; situ &
 Te, sordido pugnæ coruscum,
 Mox galeam positure **GALEN!**
 Nec gloriæ pars Te manet infima,
 Quod auspicato consilio Viros
 Optaris, argutam ferentes
 Teutopolin patulas in alti
 Orbisque lati Teutonici plagas:
 Quas quanta replet nuntia Nominis
 PAGENSTECHERI fama, Mundi
 Secula trans & itura fines!
 Certare Linguis; Aufonia tibi,
 Romane vates; Argolica Seni
 Achæo & Arte; prima vasti
 Ingenii tulerat trophæa:
 Invita quæ vel Suada recludere
 Solet; profundo gurgite flumina
 Facundiæ edens, invidenda
 Cecropis & populo Quirini.
 Plures vel isto nomine, livida
 Quos fata natos rumpere condidit
 Libros; acuta aut erudita
 Mente magis, dubites scatere.
 Immensa certe sic penetralia
 Toto revolvit corpore Jurium,
 Discens ut ætas, & Docentum
 Turba, Virum redimire certet

Victrice

Victrice lauro. nuper & exciti
 Tentare manes IRNERII pium
 Hoc munus, at frustra rogabat
 Ad superos veniam meandi;
 Qui dixit, Ergo digna meo tamen
 Astraea pendet præmia Vindici,
 Per quem datum est ut vapulaſſe,
 Quam Medico caruifſe, malim.
 Sui recordans hic mea Pieris,
 Quæ eſt dicta nuper, ſcommata per Viri
 Vibraſſe Magni Nomen; Euge!
 Infit; Ades reprobanda foedi
 Mens Sycophantæ! Jam lueris mihi
 Quod immerenti perfida coxeras!
 Sed, Mitte! dixi: cur moreris,
 Nexus amicitiæ has aniles
 Quas ipſe technas ſpernere conſtitit?
 Sat eſt quod author Thessalicum bibat
 Salum, Insulas ambas meraca &,
 Si fit opus, juga potet Octæ.

Deduxit applaudens

D. H U G U E N I N U S,
D. & P. P.

DEr angenehme Lenz / da alles grün't und blühet /
 Und da man Laub und Graß in vollem Wachſthum ſiehet/
 Da alles lieblich lacht / die schönste Jahres Zeit
 Erzeigt uns große Lust / und bringet allbereit
 Uns neue Kraft und Fleiß; Icht kan man recht Studiren
 Icht kan man mit bestand den Muſen-lauff vollführen
 In lauter Frölichkeit; Weil neu-belebtes Blut
 Uns wieder wacker macht / verſtärkend Leib und Muht.

Das

OS (33) 50

Das reget auch izund / Herr GALEN, dir die Flammen /
Zur wahren Tugend-bahn. Es kommen jetzt zusammen
Fleiß / Ehre / Wissenschaft / die treiben dich hierin
Zu dem was rühmlich ist / und muntern deinen Sinn /
Dass du beherzt und frisch gehst nach der Musen-throne /
Allwo Apollo selbst dem Fleisse reicht die Krohne /
Da zeigstu öffentlich und machst der Welt bekand /
Wie du den Frühling hast den Musen zugewandt.
Du trittst im Frühling auff / im Frühling deiner Jahre /
Und zeigst die Wissenschaft / du legest deine Wahre /
Die Fleiß erworben hat / vor die gelehrt Schaar /
Wird also deine Kunst höchstrühmlich offenbahr.
Fahr emsig weiter fort / wie du hast angefangen /
So kanstu noch im Lenz mit reissen Früchten prangen /
Die das Studiren giebt. Wir wünschen / dass dein Fleiß
Der Batterlande dien' / und dir bring Ruhm und Preis.

Ihrem Hochgeehrten und Hochgeschätzten Herrn
Commensali und Committoni, dem (Tit.) Herrn
Christophoro Bernhardo Galen, setzt dieses Glück-
wünschend / des (Tit. Tit.) Herrn Doctoris und
Professoris Pagenstechers

Sämpfliche Fisch - Gesellschaft. LL. Stud.

M Acte proba virtute tuos, Doctissime GALEN,
Labores Studii. Scire tuum nihil est
Si sciat haud alter, perge hanc calcare palæstram.
Doctrinæque decus nobile trade tuum.
Hanc ego si possem recto deducere versu,
Surgeret hinc Musis pagina multa meis.
Sed quid opus versu? laudem tua splendida facta
Monstrant hanc aliis, egregieque probant

E

Cum

Cum tua præsertim defensio prodit in auras

IRNERII, nec non Sicilimenta tua.

Gratulor hos fructus & tantæ messis aristas:

Et precor ex animo prospera fata tibi.

Jova tuis adsit cœptis, tua vota secundet!

Et tibi sic actus commoda multa ferent.

*Hac animitus Domino GALEN per duos jam fe.
annos sub Nobiliss. Dn. Professore PAGEN-
STÆCHER strenue operam juri navanti jam
non vulgariter fœliciter disputanti applaudere
voluit*

FRID. E. G. MONTANUS.

INstituit nitidis quondam certamina campis
Græcia, Nobilium fertilis usque Virūm.
Porrigis & nobis summa cum laude Lycæum!

Transtulit huc sedes Græcia clara suæs.

IRNERIUM renovas atque hujus jura tueris,

Hinc te virtutis digna brabeja manent.

Sic juvat assiduis Sophiæ impallescere curis

Comparat hoc famam, perpetuumque decus.

Gratulor ergo Tibi, succedant prælia belle.

Ut profis Patriæ non minus atque Tibi.

*Sinceri & fraterni amoris ergo
decantata ab*

ALEX. WILH. DRIVER.

EL. Stud.

Kd 3358
8




PA-206
6 Stück fehlt noch

VD 77

Farbkarte #13

B.I.G.

| | | | | | | | | |
|------|------|-------|--------|-----|---------|-------|---------|-------|
| Blue | Cyan | Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black |
| | | | | | | | | |
| | | | | | | | | |
| | | | | | | | | |
| | | | | | | | | |



J. C.
URIDICA
NIS
693.
S INJU-
LANS,
PEO
SULTISSIMI, EX-
DE CLARISSIMI
I ARNOLDI
HERI, JC.
linar.
per
HARDUM GALEN,
ASTERIENSEM.
III.

RHENUM,
Academ. Typographum.
XCIII.

